



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

Undenam proveniant distractiones

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

quillè in meditationem subjectæ materiæ incumbere sinat. Verùm exponendum nunc est

Undenam proveniant distractiones ?

I. **N**ascuntur, uti insinuavimus, ex nimia ^{Prima} libertate, quam indulgemus sensibus ^{causa ni-} nostris videndi, legendi, indagandi, & curio ^{mia sen-} sè loquendi de pluribus rebus supervacaneis ^{suum ef-} ut imaginatio omnigenis speciebus & impres- ^{fusio.} sionibus instructa atque impedita animo quietem relinquere non possit.

Secundò nascuntur ex eo, quod in cordibus ^{2. Multi-} nostris fovemus nimiam multitudinem vano ^{tudo va-} rum atque inutilium desideriorum, aut quod ^{norum} affectu vehementiori rem quampiam, etiam ^{desiderio-} bonam, prosequimur, quia juxta Salvatoris ^{rum, aut} nostri sententiam: *De corde exeunt cogitatio* ^{affectus} *nes*: quod si desideria sunt nimis multiplicata, ^{inordinati} fieri non poterit, quin etiam nimietate diver- ^{Matth.} sarum conturbemur cogitationum, ac tamen ^{15, 10.} vel ad unicam creaturam affectu ferremur inordinato, ille ad impediendam nostram in orando tranquillitatem sufficeret.

Tertiò proveniunt ex levitate & vivacitate ^{3. Levitas} humani animi & intellectus, qui considera- ^{animi.} tioni alicujus materiæ intendere nequit, quin statim ab una in alteram quasi saltitet, atque ex hac tertiam effingat, adeoque cum ex omnibus ratiocinari velit, sensim sine sensu à materia proposita avellitur, tandemque perit, ac sui ipsius immemor effectus ignorat quò devenit.

De
oratione

*A. Defo-
ctus præ-
parata
materia.*

Quartò nascuntur sæpius ex eo, quod quis non præparaverit ac præconceperit materiam meditationis, neque puncta, quæ considerare intendebat, bene digesserit, ut proinde mirum non sit, si animus, qui ex seipso vagus est & inconstans, hinc inde agitur, quin immobiliter uni insistere queat argumento.

*s. Insidia
Diaboli.*

Demum ordinariè causantur à malicia & arte atque insidiis Diaboli, qui, commotis in phantasia speciebus, multas illic excitat cogitationes stolidas & chimericas. Odio enim ardet implacabili adversus orationem, minorque cum oppositione sinit quempiam vestiri cilicio, cibo potuque abstinere, nullâ verò ratione perferre potest ab aliquo fieri orationem, eò quòd illius beneficio ascendamus in cælum, unde miser ille deturbatus est.

*In prato
spirituali.
6. 52.*

Complura istius rei exempla suppetunt in vitis sanctorum Patrum Eremitarum, ubi legimus Abbatem Marcellum aliquando orationi vacantem audisse clangorem buccinæ seu tubæ, quasi classicum canentis, atque ad irruptionem inflammantis. Cumque secum ipse perpenderet, undenam hoc provenire posset, cum in Eremito illa neque milites, neque bellicus apparatus adesset. Mox ponè assistens Cacodæmon ei ait: quin imò, vos enim nosque inter bellum est, sique tu à nobis oppugnari nolis, orationem relinque, & rursus cubitum concede.

Alius in visione intuitus est Cacodæmonem motitantem ligones, rastra aliaque instrumenta labori Religiosorum subservientia,

cum

eumque illum interrogasset quid hoc sibi vellet, respondit Diabolus, distractiones esse, quas fratribus præpararet.

Alius ex malignis hisce spiritibus nostræ salutis inimicis quadam nocte pulsabat fores cellulæ S. Macharii, eique dixit, esse tempus vacandi orationi. Sanctus Eremita cœlesti luce illustratus agnovit esse Angelum tenebrarum, eumque sciscitatus est, quid ejus referret tam sanctam actionem fieri? Respondit ei Dæmon, se in illa semper esse priorem unâ cum pluribus sodalibus suis, atque ipsum, ut parumper, quid illic agerent, ubi adesset, adverteret, monuit. Vidit ergo sanctus homo cohortem Cacodæmonum in forma parvorum Æthiopum per Ecclesiam circumeuntium, atque ab uno ad alium Religiosum cursitantium, ubi uni formam alicujus castri, alii suorum parentum, alii suorum instrumentorum manualium aliarumque rerum diversarum effingebant ac repræsentabant. Digtos quorundam oculis superimponebant, ut illis conciliarent somnum, aliorum ori eos immittebant, ut oscitate ipsos facerent, aliorum denique negligentiorum minusque devotorum humeris insidentes mille ridiculas efformabant gesticulationes. Sanctus Abbas postero manè singulorum Religiosorum suorum cellulas obivit, eosque omnes deprehendit in oratione infestatos fuisse distractionibus ad eum modum quo ipse viderat. E quo clarè patet, distractiones, quibus inter orandum agitamus, maximâ ex parte provenire à Dæmonibus.

De
oratione